

*Κυαδὸν δατῆρος ἔντι!*

Hymenæi

felicitandis, ab Alto, Nuptiis,

*quas*

*amabilis NEONTMPHORUM Dyas,*

*Humanissimus & Doctissimus*

DN. CASPARUS NÆVIUS

*ibid* Fridebergenfis ad Quisum  
*ibid* Gymnafii Magdalenæi Collega  
*ibid* dignissimus

SPONSUS,

&

*ibid* Lectissima, Pudicissimaq; Virgo

SUSANNA

*ibid* Præstantissimi & Integerrimi Viri

DN. ANDRÆ WAGNERI CIVIS

& Mercatoris Vratislaviensis relicta

Filia

SPONSA

16. Januarii, Anni M. DC. XLVI.

Vratisl. celebrabant

*ibid* calentibus &, cum DEO, valentibus Animorum

*ibid* votis acclamati à

*ibid* Fautoribus, Collegis, Amicis.

---

VRATISLAVIÆ, Typis BAUMANNIANIS.



**N**ævius eximio conspexit\* liliū in  
 horto  
 Virtutum\* folio sextuplici  
 nitidum.  
*Arrisit splendor: Meus esto floscule dixit,*  
*Condecora tempe queso benigna mea.*  
*Annuat actutum nutu Schuschanna Jehovæ,*  
*Hortum sacratum Nævii adire cupit.*  
*Et nunc ecce Dei Praeonis voce manujꝫ*  
*Hortum intrat brumæ tempore conjugij.*  
*O factum bene! Sic Coelum suspiria summum.*  
*Sanctorum penetrant, sicqꝫ petita ferunt.*  
*Marceat ô nunquam, sed semper - vivat - amœnum*  
*Nævii hoc Liliolum sextuplici folio!*

- \* Allusio ad nomen Sponsæ Schuschannæ, quod Liliū significat.
- \* Liliū constat sex foliis, à quibus etiam in hebræo nomen habet. Folia autem sex Sponsæ sunt pietas, charitas, castitas, suavitas, simplicitas, fecunditas.

*Hoc voto pio prosequitur novos nuptos  
 sub novi anni & conjugii auspiciis:*

ANANIAS Weber D.

Insigne

Insigne WAGNERINA liliū decus  
 Suo offerebat Sponsa cordi, NÆVIO;  
 En, inquit, cape sis, mihi oculis charior,  
 SUSANNA quem tibi nominis florem mei  
 Apporto, dotis instar opulentissimæ.  
 Sex folia planta candidissimæ vides  
 Inscripta cuncta, modò unicum si exceperis,  
 Décorum elegantium vocaminibus, quibus  
 Nuptæ novæ micare mores condecet.  
 Ipse, Neonymphe, si placet, nomina legas.  
 Exosculatus NÆVIUS peramabilem  
 Manum ferentis, flosculiqꝫ albedinem,  
 Ut lustrat oculis, ut sono oris exprimit,  
 Quæ singulis foliis notata nomina.  
 Primo coruscabat Deum PIETAS colens.  
 Svavem secundo conjugem adamans CHARITAS.  
 Sequentem mox tori columna CASTITAS.  
 Quarto mariti recreans cor SVAVITAS.  
 Quinto improbum execrata SIMPLICITAS dolum.  
 Sexti superficies nitebat purima,  
 Non picta dum, pingenda sed post-litteris.  
 Neonymphus igitur, svave postquam arriserat,  
 Quod te pudoris, inquit, ista purpura  
 Fortasse facere vetuit, id faciam ipsemet,  
 Et litteris vacuum replebo liliū.  
 Scribatur ergò sexta in æquore pagina,  
 Florere faciens filii cubilia,  
 Ferventioribusqꝫ; flammis pectora

A 2

Jungens

Jungens piorum conjugum FOECUNDITAS,  
Tu videris, SUSANNA dixit, aut potius  
DEUS IPSE SOSPITATOR ATQUE AUCTOR TORI;  
Quo dante, perbeatus ut sit hic torus,  
Nil liliacei emaneto germinis,  
Loliacei nil advenito germinis.

*Alienā, quod liquet, vitulā,  
in argumenti quidem repetitione,  
arans, facieb.*

M. ELIAS MAJOR P. L. C.  
Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani  
Rector & Profesor, cæterarumq;  
ibidem Scholarum Inspector.

**P**ars quondam nostra, NÆVI, dilecta Juventa,  
Jam Collegarum sexte, Cor Hendecados;  
Quod fecisse tuum, loquitur res ipsa, Parentem,  
Filius id, Patris more decente, facis.  
Et thalami lectam jungis tibi fœdere Nuptam,  
Impatiens gelidi tædia ferre Tori.  
Quod facis Exemplo Patris, fac strenuus: aude  
Quod Pater est, veteri more, quod ausus A. V. V.  
Nolle Patri ductâ sese simile Maritâ  
Quid, nisi nolle suum longiùs ire genus?  
Non dubito faustum factò promittere cursum,  
Si Te, si mores, in faciente, puto.  
Visus es, à puero, studium Pietatis amare,  
Quæ sat amanti se commoditate probat.

Impiger ingenuas carrebas cultor ad Artes,  
Saxa per horridula sæpe terenda Via.  
Grata mente tuis, etiam me teste, Magistris  
Præstabis omnem, Peste furente, fidem.  
Bis quatuor totos decoras jam sedulus Annos  
Gymnasii medium sedulitate Locum.  
Non nisi mansuetæ, præ Te, fers Symbola Mentis,  
Semina quæ Pacis spargere grata solet.  
Hæc Tibi Mens, hic mos faustam quit reddere sortem  
Per benè contracti tempora Conjugii.  
Conjugii nostro Fortunam fingimus usu:  
Es bonus? esse bonum rebere Conjugium.  
Tale Tibi cæli servet favor! Omnia durant  
Prospera, cum nobis Numina sola favent.

*Jucundissimo & dilectissimo Collegæ  
quæ precor, à no. Gadelæz Vratis  
precor*

M. HENRICUS GLOSIUS  
Gymnasii Magdalenæ Rector

**A**uctori veteris focci cognominis illi  
NÆVI, Pierii gloria rara chori,  
Sis Paris ipse licet formarum censor acutus,  
Ast expers navi forma nec ulla datur.  
Pectoris ornandi causa natura puellas  
Armavit navis a magna duobus Hera.  
Insuper Illa parens occultat corpore navos,  
Quos vigil inquirat non nisi solus Amor.

Sit *navosa* licet tua Lux in corpore toto :  
 Quot *navos*, totidem lumina cernet amor.  
 Deliciare Tuæ navis, placidissime *NAVI*,  
 Ex *navis* donec *Navulus* aptus erit.

- a. Gellius l. 12. Noct. Attic. c. 1. At tu quoq; putas naturam foeminis mammaram ubera quasi quosdam *navulos* venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse?
- b. Cic. lib. 1. de Nat. Deor. At est corpori macula *navus*: illi tamen hoc lumen videbatur.

*lulsi extempori paulo  
 liberius*

CHRISTOPH. COLERUS.



Jam rectè poteris, *CASPAR*, qui dicere, dici;  
 Quando placet casti *Ecdus* inire *Tori*.  
*Chaldæis* etenim, si *Nomen* penditur, audis,  
 Quem cæta *Theauris* præficit *Aula* suis.  
 Sed, quando licuit defendere *Nominis* *Omen*,  
 Rectius; hoc, pia quò *Tempore* *Nupta* venit?  
*Thesauros* rutili, studio quod congerit, *Auris*,  
 Letus proventu diuitem, multus amat.  
 Talibus at potior pretio *Theaurus* habetur,  
 Fortunante *DEO*, quæ pia *Nupta* venit.  
 Talis habet *SUSANNA* decus *WAGNERIA* laudis,  
 Te quæ *Theauris* præficit, una *Suis*.  
 Esto

Esto igitur, quodamas dici; esto *CASPAR*; & Idem  
*Theauri* quod habes pondus, amanter habe.  
 Condere sit cura, ceufas; sit promera *Cura*,  
 Hinc ut *Theauris* exhilarere *Boni*.  
 Quin cura, procul ut *Fur thesaurarius* absit,  
 Ne male *Theauris* discruciere *Mali*.  
 Poscit id *Officii*, quo gaudes *Nomine* dici:  
 Poscit id *Officii*, *Conjugis* *Officium*.  
 Ut neutrum fallat; *Celum* *Theaurus* amanti,  
 Te cum *Thesauro* seruet *IOVA* *Tuo*!

Amicissimo Dno. COLLEGÆ  
 primùm SPONSO

ex animo congratulans,  
 & successa quæq; compre-  
 eans ser.

M. VALENT. KLEINWECHTERUS.

Quale feram tædis *Xenium*, doctissime *Sponse*,  
 Dùm nova bifrontem provocat hora *Deum*.  
 Ac ubi per cunctas *Xeniorum* pompa plateas  
 Ambulat, & rotâ plaudit in *Urbe* *Salus*.  
 Sint *Xenium* gamica calidissima vota salutis,  
 Vota favorifluo pectoris hausta toro.  
 Quæ mihi *Magdalei* dictarunt foedera *Pindi*,  
 Impediet neuter subsequa vota *polus*.  
 Lectus non pariat luctus, non tædia tæda:  
 Oblectet lectus, *Conjugium*q; iuuet.  
 Auspiciis pariter lætis novus ingruat annus:  
 Exeat optatâ non sine prole *Vetus*.

Anniculis

Annulis quoties Veterem no vos exiget orsis,  
Exigat at veterem Solè frequente novus:  
Se novet in sociâ Benedictio commoda Bigæ,  
Quam cumulet largis dia Pronœa bonis.  
Tale fero tædis Xenium, doctissime Sponse,  
Nescio, quid majus, quid meliusvè feram.

\*  
XENIUM GAMICVM.

*h. e.*

VOTA DEVOTA,

*pro*

FELICITATE ac SALUTE

DN. CASP. NÆVIUM

SPONSUM

Collegam & Amicum exoptatissimum,

ipsis Calendis Januariis

L. M. 2

*scripta*

WOLGANGO STIRIO.

Conjugium grave nonnullis onus esse videtur,  
Qui sat agunt planè hoc abstinuisse jugo.  
Askerrant: leve quippe jugum est & amabile dictu;  
Si benè conveniat femina juncta viro.  
In scholicis didicisse potes, doctissime Nævi,  
Hactenus informans indomitos pueros.  
Est onus immensum reprobos tractare puellos,  
Fucundum contra hanc ferre probis operam.  
Nunc, onus ut scholicum felix superâs se doceris,  
Sic & conjugii vincere disce jugum.

Fiet

Fiet id unanimi vivendo & compare voto.

Conjugium ex voto non erit ergò jugum.

Ergò conjugium vestrum sit compare voto

Perpetuò firmum: Non fiet ergò jugum.

Incomptis verbis, faustum & ama-  
bile Conjugium apprecarur

GEORGIUS HAYNECCIUS, Reipubl.  
VratisL. Civis & Advocatus.

Hæc quid Vita? Fretum periculosum,  
Et Callis dubii ferus recessus.

Non solus benè se Freti periculis

Credit Navita, nec Viator; absq;

Probato socio, malis viarum.

Quid VIR? num varias suæ procellas  
Vitai facilis feret, fideli

Defectus Sociâ Tori jugalis?

Non sic: non, Sociâ Virum carere,

Ipsa teste DEO, bonum putandum.

Ergò Te meritò voco beatum,

Multum chare mihi Synerge Nævi,

Cui Refrigerium Susanna vtrgo

Nunc, nexu stabili, datur laborum.

Cæles Ipse Pater, precor, secundet

Tedas, & jubeat benigniore,

Quæ quæ Vos facietis, ire motu.

Sic non vestra Fretum; merum Rosetum:

Non

Non Callis; violis referta Vallis,  
Vobis Vita subinde sentietur.

M. CHRISTOPH. Schulz.

Quam tua pro voto selegit cura SUSANNAM  
Anxia, mi NÆVI, sorte favente, fove,  
Transige cumq; illâ felicia tempora vite,  
Conjugii nœvis sed sine, vive, vale.  
gratulabundâ mente  
& pennâf.

DAVIDES PIGRITIUS  
Gymnaf. Magdal. Coll.

Omnia vincit amor. Gallus canit ille Maronis:  
Spargitur in triviis: Omnia vinci amor.  
Dic mihi, num quoq; te tandem, doctissime Nævi,  
Vicerit? En victas porrigis ipse manus.  
Scilicet ut vertex hederæ ligat arboris artus,  
Sic tua te Sponsam Sponsa Susanna ligat.  
Quid vel nunc aliud dicam, vel corde volutem,  
Quam quò jungendis fervida vota feram?  
Alme Deus, Pater alme Deus, servator & author  
Connubii, junctos tu rege, flecte, fove.  
Et da præsentis quæ vitæ postulat usus,  
Ritè tuum Nomen quò celebrare queant.  
Alme Deus, tu Christe Deus, qui primus Adâmo  
Evam junxisti, pectora junge pia.  
Et si fortassis posthac onus incidet ullum,  
Hos, ne succumbant, ipse levare velis.

Alme

Alme Deus, tu Pnevma Deus, spiramen amoris  
Casti, constantes sint in amore, jube.  
Mens sit ut una, precor, sit fac & ut una voluntas,  
Ut placeant rectis, per placeantq; tibi.  
Alme Deus, Numen simplex in Numine trino,  
Alme Pater, Fili, Pnevma sacrumq; poli.  
Quæ pia sincero jamjam sunt corde profecta  
Vota meo, jubeas ipse valere, precor.

M. CASPAR Lehman.

Accipe, mi Nævi, lætis amplexibus, atq;  
Sua violis Sponsam, quam DEUS ipse dedit.  
Cum nullam, nisi quam summus dedit atq; paravit,  
Accipiat quisquam; ut nos sacra scripta docent.  
Non valet hic vafræ quid consultatio mentis:  
Irrita sunt, rata quæ non jubet esse DEUS.  
Non est currentis, non est res ista volentis:  
Absq; DEO est hominum cura laborq; nihil.  
At contra duo perfacili junguntur in unum,  
Quando DEUS dicit: sit, volo, tempus adest.  
Hæc, Nævi suavis Collega, fateberis ipse  
Gnarus, quid nolle & velle DEI valeat.  
A Domino tibi, ne dubites, Susanna parata est;  
Sic bene disposuit conjugium ille tuum.  
Quod Dominus disponere, dignatusq; parare,  
Huic benedicet, nec deseret illud ope.  
Hoc svasu fausti semper virvetis, & ipsa  
Nubes lux erit, & dulcis amaror erit.

Indè

Indè precor verbo vobis unò; DEUS adſie,  
Qui benedicat, ſit, qui ferat auxilium.

Amicitia ergò & ex Collegiali  
affectu ſcrib.

GEORGIUS HYLLER,

### Rezel.

**Q**Es Höchſten meiſter ſtück die Welt lag in der Wiegen/  
Als ich ſchon dienſtlich ward geſchäket zu betriegen  
Ein Frauen-Bild. Die Welt mich eine quälle heiſt  
Der Thränen/ damit ſie biß dato ſich geſpeiſt.  
Wofern der jenige die Wahrheit nicht verſehret /  
Von welchem Rom die Kunſt zu buhlen ward gelehret/  
So hab ich derer auch betrüglich angeſeet /  
Die höher Jungfrawſchafft als Eheſtand geſchäket.  
So laß ich/ ob ich wol bin ſonder Mund geböhren.  
Den Eid Cydippen vor / Acontio geſchworen /  
Sein Schas vnd Braut zu ſein. Zu büßung ſeiner Luſt  
Ich dem behülfflich war/ der in die wette muſt  
Mit ſeiner Liebſten ſelbſt vmb ſeine Liebſte lauffen /  
Vnd eilte mit gefahr des Lebens zuerk auffen  
Ein allzuſpäte Rew. Drey Götterinnen an mir  
Den Narren auff einmal gefreſſen haben ſchier.  
Mit ſtummen worten bey dem Schäffer ich anſagte  
Die Schäfferinn/ wenn ſcham ſie hinter Bäume ſagte.  
So oft ich nur zu Rom zu Tiſche ſolte gehn /  
Was es an dem/ das man von Tiſche wolt auffſiehn.  
Was offte Priapus muſt vor keuſchen Ohren ſchweigen/  
Das pflege züchtig ich denſelben anzuzeigen /  
Wie Lipſius bezeugt. Geh/ Oedipus/ vorbei/  
Komm/ Davus/ da mir her/ vnd ſage/ wer ich ſey?

D. S.